



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

VII. De missa Parochiali audie[n]da.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

turbæ. Sed an tuta sit, ut vide. Hoc enim est audire Missam more Curia, id est *A la mode*. Quod mihi certè multum displicet.

CAPUT VII.

De missa Parochiali audienda.

Missam in Parochia propria audiendam, decernunt antiqua jura. Unde *Sixtus IV. de Treuga & pace*, ubi concordiam inquit inter Mendicantes & Parochos, præcipit ne Mendicantes prædicent populum, non teneri audire Missam in propriis Parochiis diebus festis cum jure sit cautum illis diebus Parochianos teneri audire Missam in Parochiali Ecclesia, nisi forte ob honestam causam ab Ecclesia ipsa se absentarent. Ita ille in extravagantibus communibus, indicans ex vi juris communis obligationem quandam fuisse, quam etiam sententiam secuti sunt multi Canonistæ. Interim usus & consuetudo Fidei jam aliud insinuet, non censetur peccato obnoxii, qui alibi audierint. Rectè tamen *Concil. Trident. sess. 22. mo* nendum

nendum censet populum à Concionalibus & Parochis, ut frequenter ad eas Parochias, saltem Festis majoribus, & Dominicis accedant Missa eorum Pastoralis, quæ in Parochiis solemniter celebratur, non exiguos fructus, & prærogativas habet.

1. Enim ab illo celebratur, qui ex iustitia tenetur sacrifici sui fructum populo sibi subdito applicare: ita ut populus jus habeat speciale in illud fructu in fructus ex illo provenientes. Hinc & olim Sacrum illud Pastorale, *Dominicum* vocabatur, ut testatur Bardonius: & ad illud non solum convenit populus, sed & specialiter Angeli custodes Parochiæ: nam non solum singulis personis Angelos custodes reputatos, sed & toti Parochiæ unum vel plures, & ipsi Pastori ultra Angelum particularem à nativitate etiam aliquem destinatum esse ut Pastori, omninò probabile est. Hinc *Petrus Faber* inter primos Patres Societatis Jesu, *Ignatii Socius*, solebat dicere cum per Germaniam, & Genevenses partes

es hæresi infectas pertransisset, se plurimum auxilii sensisse, sive ad declinandas hæreticorum insidias sive ad convertendas animas, ex eo quod solitus erat speciali devotione Angelos Tutelares Parochiarum, per quas transibat, salutare: Hi ergo specialiter etiam coluntur in communi conventu populi ad Sacrum Dominicum, & eorum auxilium imploratur. Patet in oratione, quæ post asperisionem aquæ benedictæ decantatur.

2. Tunc fit omnium orationum & priorum operum tacita quædam inter omnes communicatio, in concursu precum & unione cordium: ita ut gratia Dei, illiusque beneficia & peccatorum remissio citius & efficacius impetretur, ob communicationem, conjunctionem specialem totius fraternitatis, & Ecclesiæ ibi congregatæ in spiritu Christi, & gemitu columbæ. Unde hic locum habet quod dicit Chrysostomus. Orationem multum proficere quæ cum fratribus fit. *Est enim, inquit, ibi concordia, conspiratio, copula*

Et rischaritatis, Sacerdotum clamores :
 qui praesunt ut populi orationes , qua per
 sunt infirmiores, validiores illas com-
 plexa, simul in Calum evehantur.

3. In illo conventu Missæ Parochia-
 is, censentur oves cū Pastore in ovile
 convenire, ubi vocem Pastoris
 audiant & sequantur. Ideo tunc ver-
 bum Dei ex officio ab illis prædicatur
 Dei & Ecclesiæ mandata annuncian-
 tur, monetur populus Festorum, Vigi-
 liarum, jejuniorum, atque aliorum in
 Hebdomada occurrentium. Unde

Trident. sess. 24. c. 4. iterum sic habet :
Moneat Episcopus populum diligenter
 teneri unumquemque Parochia sua in-
 vesse, ubi commodè id fieri potest, ad
 audiendum Verbum Dei.

4. Ibi censentur Filii cum Patre ad
 cubiculum genetricis suæ, sive ad si-
 cum matris convenire, ut ejus præce-
 ptis aurem præbeant obedientem, jux-
 ta illud Ecclesiastici? *Audi fili mi disci-
 plinam Patris tui, Et ne dimittas legem
 Matris tuæ.* Ecclesia enim Parochialis
 Matris titulo & honore gaudet, quæ

per lavacrum regenerationis in Christo filios gignit : & Pastores propriis Patres nominari debent, quia Parochianos ut viscera sua diligere tenentur, quos in Christo generare Verbi & Sacramenti ministerio pascere ex iustitia obligantur; ac in viam salutis dirigere, quasi à Patre æterno, & Jesu Christo commissos sibi filios.

5. In Missa Parochiali aquâ benedictâ populus solemniter aspergitur, ut adversus malignos spiritus præveniatur. Item pro avertendis à Parochia malis, & Dei flagellis, atque etiam pro bonis non solum spiritualibus, sed & temporalibus impetrandis, pro frugibus terræ & aliis supplicationes instituantur. Unde pastoris est, ex officio specialiter Mediatorem & Intercessorem agere apud Christum & Deum Patrem pro grege, & pro illius salute spirituali, temporali & æterna, Deum placatum ac propitium reddere.

6. In Missa Parochiali infirmi Parochiæ, præsertim agonizantes ac alii diversis in necessitatibus, sive per-

culis constituti, communis populi precibus commendantur. Item pro defunctorum Parochianorum animabus (præcipuè quæ recenter è vita migrarint) preces fiunt. Denique pro indigentibus & necessitatibus Ecclesiæ Collectæ instituuntur, ad quas Parochiani tenentur. Ob hæc igitur & plura alia, ad Parochiam suam debet, populus frequens convenire, & ad id etiam seridò ac crebrò commovendus est.

Sed, quæritur: An Episcopus possit cogere, ut diebus Dominicis, aut solemnioribus Festis populus ad propriam Parochiam conveniat? Respondent communiter Regulares, ut privilegiorum suorum simbrias magnificent, & dilatent phylacteria sua, Episcopum id non posse. Rationem afferunt, quia Episcopus non possit restringere jus commune, quod habetur ex universali consuetudine. Ita Filiucius & alii. Item quia Concilium Tridentinum, solum dicit, ut Episcopus moveat populum, diebus Dominicis,

aut Festis solemnioribus ad propriam
Parochiam convenire.

Sed in contrarium est praxis quorundam Episcoporum, tum in antiquo jure, tum in jure etiam novo Concilii Trid. fundata, nec non in ratione Tridentinum enim sess. 22. in decreto de observandis in celebratione Missæ, cum multa insinuasset, ac hoc etiam quod jam dictum est, scil. monendum esse populum, ut frequenter ad Parochias conveniat, immediatè subjungit: *Hæc igitur omnia, quæ summariè enumerata sunt, omnibus locorum ordinariis ita proponuntur, ut non solum ipsa; sed quæcumque alia huc pertinent visa fuerint, ipsi pro data sibi à sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut delegati Sedis Apostolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuunt: atque ad eam violatè servanda censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant non obstantibus privilegiis ac consuetudinibus quibuscumque.* Ergò ubi populus ad hanc monitionem de frequen-

tandaparochia negligens cerneretur ,
 oportunitis remediis potest Episcopus
 providere , etiam sub pœnis præcipi-
 endo. Adde quod idem Concilium
 Sessione 24. declarat *teneri unumquem-*
que Parochia sua interesse ad audiendum
verbum Dei: imò Dominicis & Festivis
 diebus præcipit pueros in Parochiis
 erudiri, in rudimentis fidei, & obedi-
 entia erga Deum & parentes. Cum au-
 tem verbum Dei, aut etiam instructio
 rudium, tempore Parochialis Missæ
 plerisque in locis ruralibus fiat ad eam
 Parochiani compelli possunt ab Epif-
 copis. Hinc in *Diœcesi nostra Leodiensî*
 tale extat decretum. *Parochianos om-*
nes monemus, & eis mandamus : ut in
 suis Parochialibus Ecclesiis diligentes
 sint ad verbum Dei, aliaque divina au-
 dienda; alioquin si eos ad tres continuas
 septimanas diebus Dominicis & Festivis
 abesse absque legitima causa, vel si Pa-
 storis licentia contigerit; volumus contra
 eum ad pœnas canonicas, & Statutarias
 antiquas hujus Diœcesis, aliasque arbi-
 trarias procedi. Ita habetur in Synodo,
 tit. 10. c. 4.

Simile Decretum habetur in Syn. Namurc. tit. 4. cap. 14. Quis verò hæc audeat condemnare, & Patres Synodi, inter quos multi docti Theologi Videri potest hac de re Libellus intulatus, *Parochianus Obediens*, editus Duaci à quodam P. Capucino 1633. Ubi fusè probat teneri Parochianos audire Missam, & Verbum Dei in sua Parochia, saltem diebus Dominicis, & Festis Majoribus, cessante legitimo impedimento.

Quæri etiam potest. *Cur in quibusdam Provinciis, panis benedictus, & in partes concisus cunctis presentibus diebus Dominicis datur?* Sic in Gallicanis Ecclesiis communiter practicatur. Respond. panem illum esse cujusdam pacis & unionis Christianæ symbolum. Ac cum olim singulis Dominicis Fideles communicarent (juxta illud actorum) *Erant perseverantes in oratione, & communicatione fractionis panis* (panis scilicet celestis qui Corpus Christi est) successit illi panis benedicti, sed non consecrati

Ave transubstantiali participatio.
 Hinc *Sanctus Pius Pontifex & Mar-*
tyr, qui vixit anno centesimo qua-
 dragesimo septimo, in decretis suis sic
 ait: *Ut de obligationibus quæ offeruntur*
populo, vel de panibus quos deferunt
Presbyteres ad Ecclesiam Presbyter partes con-
ferendas habeat, ut post Missarum solemnias,
si communicare non fuerint parati,
omnino ab eisdem calicibus & paten-
is omni die Dominico exinde ac-
ceptent.

CAPUT VIII.

DE NONNULLIS NOTABILIBVS
concernentibus Missarum cele-
brationem.

Nota Primò. Non licere celebrare
 cooperto capite, nisi ex dispen-
 satione & licetia, saltem Episcopi. Imò
 Congregatio Rituum vult hanc licen-
 tiam ad Pontificem pertinere. Existi-
 mo tamen exigente id gravi infirmita-
 te, & aliqua celebrandi necessitate, se-
 cluso scandalo & contemptu, posse ce-
 lebrare Sacerdotem capite cooperto,
 (excepto tempore canonis) si non pos-
 sit facile recursus haberi ad Episcopum.

Dd 4

Nota